CLEMENS PP. XIII.

Morbio 27 (159)

Venlis Frater salutem, et Aplicam benedictionem. Expon Nobis nuper fecit dilectus filius Josephus a Turre Veronen, quod ipse, qui (ut asserit) de nobili genere procreatus existit, pro ejus Spirituali consolatione Sacrosanctum Missæ Sacrificium in privatis domorum suæ habitationis Oratorijs celebrari facere posse plurimum desiderat. Nos igitur ipsum Josephum specialibus favoribus et gratijs prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclicis sententijs, censuris, et pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Fraternitati tuæ per præsentes committimus, et mandamus, quatenus constito tibi de narratis, eidem Josepho, ut ipse in privatis domorum suæ habitationis in Civitate, et Diœcesi Veronen existen Oratorijs ad hoc decenter muro extructis, et ornatis, seu extruendis, et ornandis, ab omnibus domesticis usibus liberis per te prius visitandis, et approbandis, deque tui licentia arbitrio tuo duratura, unam Missam pro unoquoque die, dummodo in eisdem domibus celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab Ordinario approbatum Secularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem, sine tamen quorumcumque jurium Parochialium præjudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, et Nativitatis Dni nostri Jesu Xpti, aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in sua, ac dilectæ etiam in Xpto filiæ Felicis Orti ejus genetricis, Consanguineorum, et Affinium secum insimul in eadem domo habitantium familiisque, et quoad Oratoria Ruri existentia etiam in Hospitum Nobilium suorum præsentia celebrari facere libere, et licite possit, ac valeat, licentiam auctoritate nostra Aplica arbitrio tuo concedas, et indulgeas. Non obstan Constitutionibus, et Ordinationibus Aplicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, quod Consanguinei, et Affines præfati dictam unicam Missam ipso Josepho præsente dumtaxat audire; numquam vero celebrari facere valeant. Quodque familiares servitijs suis tempore dictæ Missæ actu non necessarij ibidem Missæ hujusmodi interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV Januarij MDCCLXII. Pontus Nostri Anno Quarto.

1761 = M.V. 3. Febb.º in Coll.º
Visto, e licenziato per l'esecuz.e
Gio. Colombo Segr.io

N. Card. Antonellus

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1872115934-15/fragment/page=0001

1762 15/I !

Venerabili Fratri Episcopo Veronen.

Morbio 27 (159)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1872115934-15/fragment/page=0002